



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

71. An Episcopus possit approbare Regulares, ut non excipiant  
confessiones mulieru[m] ante atatem quadraginta annoru[m]? De  
Sacerdotibus sæcularibus non est dubitandum. Sed docetur Sacerdote[m]

...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

RESOL. LXXI.

An Episcopi possint approbare Regulares, ut non excipiant confessiones mulierum, ante aetatem quadraginta annorum?

De Sacerdotibus secularibus non est dubitandum.

Sed docetur Sacrodotem secularem pro masculis tantum approbatum probabile esse posse eligi à feminis virtute Cruciatæ, & Iubilæi.

Et an possit Episcopus denegare licentiam, & approbationem ad confessiones excipiendas, dicendo se habere superfluitatem confessoriorum?

Et an hæc sit iusta causa? Ex part. 11. tractat. 8. & Misc. 8. Resol. 27.

61. Hic casus in praxi ponitur in quadam Diœcesi Regni Siciliae. De Sacerdotibus secularibus non est dubium, difficultas est quoad Regulares, & negativè respondet nouissimè Dicastrilius, de sacran. tom. 2. tract. 8. disp. 10. dub. 6. num. 289. vbi sic ait; Circa Regulares verò difficilius est asserere, quod propter solum defectum ætatis possit Episcopus approbationem coarctare. Nam ( vt supra dicebam ex Conc. Lateran. & Leone X.) examen Regularium restrictum est, vt sit super literaturam duntaxat: ergo quidquid est præter literaturam, maxime quod pertinet ad mores, non ad Episcopum, sed ad Prælatos Religiosos spectat; ætas autem si propter aliquam rationem obstat approbationi, solum est quatenus defectus maturioris ætatis reducitur ad mores, quia scilicet timeri potest periculum, ne tam intima, & particularis colloquutio iuuenis adhuc Sacerdotis cum femina occasio sit, vel ipsi, vel feminae, vel vtrique alicuius peccati. Verum autem eius virtutis Sacerdos sit, aut ita se probauerit in moribus, & vita, vt merito possit illi, quamuis iuueni, committi administratio huius Sacramenti feminis, Prælati potius Religiosorum iudicium esse videtur, qui nouit eorum mores, & vitam, quam Episcopi, qui non sibi subditorum non tam plene aut non tam facile videbitur posse habere notitiam. Idèò merito dixit pontifex in Lateranensi: super literaturam duntaxat; cætera vtrique permittens Prælato Religionis. Quod si verum est, aut saltem probabile (vt videtur) omnino etiam videtur probabile, eo ipso, quod Episcopus dedit approbationem super literaturam functus est munere suo; cumque iurisdictioni Religiosi confessorij non dependeat ab Episcopo; hanc enim habet, vel per Bullam Cruciatæ in fauorem penitentis, quando ad hoc eligitur, vel quod pleræque Religiones habent) à Summo Pontifice in fauorem ipsius confessorij. Hinc est, vt valeat absolutio comparatione feminae, etiam si verba approbationis videantur eam restringere ad solos mares ante certam quandam aetatem confessorij. Idque à fortiori docent, & expresse plerique qui putant etiam Sacrodotem secularem pro masculis tantum approbatum probabile esse posse eligi à femina virtutis Bullæ Cruciatæ, aut Iubilæi. Ita Dicastrilius.

2. Hanc etiam sententiam docet Leander de Sacra. tom. 1. rr. 5. disp. 11. q. 85. posse quidem (ait) interueniente causa, Episcopos cum limitatione Regulares approbare: hanc tamen causam non adesse, quando solum interuenit defectus ætatis, aut suspicio in moribus ( nisi aliàs Episcopus specialem habeat causam tales defectus timendi) sed quando interuenit tantum insufficiencia, aut defectus scientiæ. Ratio est, quia approbatio, quam exigat Tri-

dentinum, loco citato, solum est circa scientiam. Nam quoad mores, tandiu quis præsumitur bonus, quandiu non probatur malus. Ex quo colligitur, quod casu quo Episcopus remittat Regularem privilegium ad examen, & examinatur dicat, se idoneum illum inuenisse, tunc etiam Episcopus postea limitet licentiam, vt scilicet non audiat mulieres vsque ad Quadagesimum annum, &c. Non est necesse seruire dictam limitationem. Sic Leander qui postea pro hac sententia citat Villalobos, Vegam, Lezanam, Mirandam, & Boffium, quibus adde Martinum de San Ioseph in mon. confess. tomo 1. lib. 1. tractat. 24. de penit. numer. 15. sic asserentem; [ Lo mismo se ha de dezir, quando los Obispos, sin justa causa no admiten los reglars presentados por sus superiores al examen, d despues de examinados, injustamente no les quieren dar licencia para confesar, que queda aprobados por la Extrauagante, y Clementina dichas. No niego que pueda el Obispo aprobar los Reglars con limite por defecto de sciencia, que para experimentarla los remite à examen el Concilio: pero si auiendo cometido el examen à algun hombre docto, esto les hallo suficientes, despues no podrá el Obispo limitar la licencia de confesar por tiempo señalado, d para confesar mugeres por defecto de edad, porque esta limitacion, no valdrá, y podrán confesar sin limite, porque la autoridad y jurisdiccion, la dà el Pontifice, y no la puede estrechar sin causa el Obispo. ] Ita ille. Sed de hac quaestione à me alibi dictum est, & praxis est in contrarium in aliquibus locis.

3. Sed quid dicendum, an possit Episcopus denegare Regularibus licentiam, & approbationem ad confessiones excipiendas, dicendo se habere superfluitatem confessoriorum? & an hæc sit iusta causa? Negativè respondet Vasquez in 3. part. tom. 4. quaestione 93. artic. 3. dub. 5. numer. 5. Cardinalis Lugo de penit. disput. 21. sectione 3. numer. 54. vbi ex errore Typographi verba illa, sed superfluitatem, corrige, solum superfluitatem. Idem tenet Ioannes Dicastrilius vbi supra dub. 10. numer. 298 & Laurentius Longus in Tabulis sacramentorum, part. 2. cap. 58. numer. 7. vbi sic ait: Episcopus nolens approbare, vel admittere ad examen approbationis Religiosos ea tantum de causa, quod in propria Diœcesi constet adesse nimiam confessoriorum copiam, peccat contra ius quod ipsi Regulares habent ad audiendas confessiones, vt potè qui per sua privilegia sunt quasi Parochi fidelium à Summo Pontifice ad tale ministerium delegati. ] Ita ille.

4. Et idèò asserit Pellizarius in man. Regular. tom. 2. tractat. 8. cap. 3. section. 2. subsect. 1. numer. 25. Episcopos nolentes approbare aut admittere ad examen ex eo præcisè quòd in propria Diœcesi censeant adesse nimiam confessoriorum copiam, iniuste procedere contra ius, quod ipsi Regulares habent ad audiendas confessiones; vt potè qui per sua privilegia sunt quasi Parochi fidelium à Papa delegati ad tale ministerium. Et hoc non obstante, Clementina Dudum, in qua dicitur. Sed numerus personarum assumendarum ad huiusmodi officium exercendum, esse debet, prout vniuersitas Cleri, & populi, ac multitudo, vel paucitas exigit eorumdem: Hæc enim limitatio solum procedit quoad privilegium in d. Clementina concessum, non autem absolute vt notauit Ioan. de Lugo nu. 55. addens tamen eos qui voluerint vt privilegio d. Clementinae, teneri illo vt cum præfata limitatione.

5. Et postea subdit: Potest autem Episcopus semper, aut ferè semper dicere se nolle approbare illos Regulares, quia pro numero penitentium illius

Sup. hoc infra in Ref. 81. §. vii.

loci non sunt necessarij plures pro nunc: cuius contrarium in praxi probare difficilimum erit, atque aded in praxi non video, quomodo possit vtilis esse illa sententia, cuius assertio aliunde non deservit, nisi ad irritandos, & acerbandos Episcoporum animos contra personas Regulares quæ quo magis excutere à se volunt iugum Episcopatum, hac in parte eo magis ab ipsis Episcopis adstringuntur expectari eorum potestatem: Et contra verò, quòd magis se Episcopis hac in parte subiiciunt, & ostendant se ab illis dependere, eò experiuntur illos magis benignos, & maiori cum libertate, & pace sua ministeria possunt cum maiori proximorum fuctu, ac reedificatione exercere. Hucusque Lugo, prudenter quidem; quod etiam ego Regularibus consulo.

## RESOL. LXXII.

An Confessarius Regularis possit approbari cum limitatione, ad tempus ad personas, &c. Ex p. 6. tractat. 7. & Misc. 2. Resol. 61.

Sup. hoc sup. §. 1. Negativam sententiam mordicus sustinet P. Cellotius de Hierarch. lib. 5. c. 25. vbi sic ait. Postremò de restrictione quod queri potest, leviorè habet disputationem, duabus breviter partibus definiendam. Nam si Religiosus de moribus doctrinæque ritè examinatus non is esse reperitur, qui pœnitentiæ Tribunal pro eius officij dignit. exercere valeat, quidni locis, personisque ipsis interdicatur? quidni annua, vel triennis tantum concedatur approbatio; sistendi sese iterum, & vitæ laudabilius actæ, aut comparatæ, maioris scientiæ specimen edendi onere perquam salubri imposito? Quòd si virum ponis suis patribus absolutum, cui neque virtus ad exemplum, neque pericia ad animarum regimen desit, qui sit eiusmodi, quales reliquos optare debeas, etiam Parochiali beneficio instructos: huic ego Regulari arctam, & aliqua sui parte luxatam approbationem aio nec debere nec concedi. Est enim, hoc semper animo recolendum, approbatio, non favor tuus, sed veritas; non gratia, sed testimonium; non arbitrij tui libertas, sed eius meritum. Et si negatur iniuria, si sine causa restringitur ab Episcopo, iam ad Extrauag. & Clem. recurritur, & ipso iure à Summo Pontif. absolutè approbatus censetur. Ita ille. Cui adde Zambellum in Reper. Mor. ver. Confessor quoad auctoritatem, vbi sic ait. Confessor doctus & approbatus ab Ordinario per vnum annum, etiam tranlacto anno, potest audire confessiones, quia remanet approbatus à Papa; & nu. 4. ita asserit. Confessor approbatus ab ordinario pro hominibus duntaxat, eo quia ætatis suæ adhuc non tetigit 40. annum, potest etiam audire confessiones mulierum: quia hæc non est causa rationabilis pro coarctatione suæ auctoritatis. Ita ille, & alij quos citavi in 3. p. 11. 2. ref. 25. Quibus adde Præpositum in 3. p. de Sacr. pœn. q. 8. dub. 3. n. 17.

Quæ hic est sup. Ref. 70. 2. Sed ibi ego affirmatiuæ sententiæ adhæsi, & illam nouissimè me citato tenet P. Lugo de pœnit. disp. 21. f. 3. §. 1. n. 57. vbi ex multis rationibus hoc firmat. Et ided asserit debere damnari approbationem cum eiusmodi limitationibus ab Episcopis datam, tanquam iniustam, etiam respectu Regularium: possunt enim de facto interuenire vel omnes, vel aliqua ex rationibus adductis, vel aliæ similes, quibus prudenter moueatur Episcopus ad non approbandum absolute, & vniuersaliter, sed cum aliqua limitatione. Nec obstat exemplum illud de Parocho, qui 25. ætatis anno approbatur absque vlla limitatione. Responderi enim potest maius examen procul dubio debere præcedere per se loquendo, circa probitatem & mores Paro-

chi, vt illi committatur animarum cura, & beneficium parochiale, quam regulariter precedat ad probandum Confessat. Vnde non mirum, quod Parochus approbetur ad omnium etiam feminarum confessiones, & non Religiosus iuuenis, quem Episcopus non cognoscit. Sic etiam Episcopus eligitur 30. ætatis anno, atque eo ipso approbatur ad abolutiones, & dispensationes grauissimas, quas Pontifex, & Concilia non possunt prudenter confidere omnibus Religiosis etiam sectagenatis: quia nimirum Episcopi electionem præcedit magnum examen circa doctrinam, prudentiam, & mores ipsius; qualem notitiam Pontifex non habet de omnibus Religiosis etiam senibus.

3. Non desinam tamen annotare cum eodem P. Lugo: quod quando in particulari circa aliquam personam maximè Religiosam non procederent prædictæ rationes: sed Episcopus haberet notitiam sufficientem, vt eam absque limitatione approbaret: non videntur posse absque alia iusta causa opponi eiusmodi limitationes. Nam ille habet ius, vt petat approbationem simpliciter, & absolutam præuio examine, cui se offert: ergo si posita plena notitia, quæ de ipso habetur, non potest Episcopus pro solo libito negare approbationem simpliciter, & dare solum semiprobatorem: alioquin liceret illi pro libito dare approbationem pro vna hebdomada, vel pro centum personis, quæ omnia essent in fraudem privilegiorum Regularium vt constat. Quando autem sit de facto iusta causa ad apponendas eiusmodi limitationes, hoc arbitrio, & conscientiæ Episcopi reliquimus: dicimus autem siue iuste siue iniuste apponantur, obseruandas omnino esse, quia ille Sacerdos reuera non est approbatus ab Episcopo pro tali tempore, vel ad tales confessiones, quæ approbatio necessaria omnino est ad valorem abolutionis post Conc. Trid.

## RESOL. LXXIII.

An Episcopus admittens Regulares ad audiendas confessiones vsque ad beneplacitum pesti dictas licentias ad libitum reuocare? Ex p. 3. tr. 2. Ref. 26.

§. 1. Ad hanc questionem ita respondet Petrus Sotus in sup. prim. Mini. 10. 1. consi. Six. IV. n. 44. Licet enim et cõmuniter, quod ad beneplacitum conceditur, potest ad libitum concedenti reuocari. In subiecta tamen materia, puto, quòd non possit ad libitum Episcopus licentiam confessiones audiendi ad beneplacitum datam reuocare, sed quod requiritur iusta aliqua causa ad sacramentum Pœnitentiæ perueniens. Moueatur, nam licentia, quæ datur ab Episcopis Confessariis Regularium ad audiendas Secularium confessiones, non est propriè licentia, sed approbatio personæ, & quasi iusta sententia, seu declaratio, quod talis persona est idonea ad confessiones audiendas, vt patet ex ipsis Concilij verbis, sess. 15. de reform. c. 2. f. 1. vbi, & approbationem: vnde postquam Episcopi iudicauerint, Regulares esse idoneos ministros sacramenti Pœnitentiæ, statim Papa illis concedit facultatem dicti sacramenti ministrandi, vt patet ex Clem. dudum, de sepul. sed sententia data secundum regulas iustitiæ non potest reuocari; ergo dicta approbatio facta supponitur, modis debitis, licet non sit ad beneplacitum, non potest ab Episcopo reuocari absque magna causa, & ad dictum sacramentum pertinente, vt ait Glossa in Clem. dudum, vix. concesserint. Ita Peirinus, sed non desunt alij Doctores contrarium sentientes, quod communitè obseruatur.